

Narodna in univerzitetna knjižnica  
v Ljubljani

Vol. 21894

1828.

1828.

Schedula van: pafchal: 9. 17. 39. 44. 68.

250

150

50

450

4f 12 den ~~29~~ Januari  
1811

15. 28. 05. 49. 55.

Schedula Confessio pafchal: 12. 15. 40. 68. 76.

200

900

100

50

50

39

18

18

29

802

Waren enz.

1. Totaal Florians Hoochverv. Stare uit 1/54


1992 Michael Gurtischa Karkina ~~1/54~~ 1/55

liber 8g a.m.

den 29. decr 1811

2delen Januarien en Februarie

M. e. j.



DIRECTORIUM  
DIOECESIS  
LABACENSIS,  
SEU  
ORDO

MISSAS CELEBRANDI, ET HORAS  
CANONICAS RECITANDI

J U X T A

RITUM MISSALIS, ET BREVIARII ROMANI,  
AC PROPRII LABACENSIS.

AD ANNUM DOMINI BISSEXTILEM  
MDCCCXXVIII.

4828  
JUSSU ET AUCTORITATE  
CELSISSIMI AC REVERENDISSIMI  
DOMINI DOMINI  
*ANTONII ALOYSII*

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA  
EPISCOPI LABACENSIS,

IMPERII AUSTRIACI PRINCIPIS & &  
HISTORIARUM

VEREIN

URBIS

LIBRARI

LABACI

# Tabella Temporaria

pro Anno bissextili 1828.

## Festa mobilia.

Septuag.	3. Feb.	Dom. post Pentec. XXVI.
Dies Ciner.	20. Feb.	Dom. i. Adv. 30. Novem.
Pascha Dni.	6. April.	Epacta XIV.
Rog. 12. 13. 14.	Maji.	Aureus Numer. 5.
Ascensio Dni.	15. Maji.	Cyclus Solis 17.
Pentecostes	25. Maji.	Indictio Rom. 1.
Fest. SS. Trin.	1. Junii.	Lit. Dom. F.E.
Fest SS. C.Chri.	5. Junii.	Lit. Martyrol. p. min.

## Jejunia Quatuor Temporum.

Verna	27.	29.	Febr. et 1. Martii.
Aestiva	28.	30.	et 31. Maji.
Autumnalia	17.	19.	et 20. Septembbris.
Hyemalia	17.	19.	et 20. Decembris.

Crux † denotat Festum in foro de præcepto celebrandum.

In Missa *Gloria* semper dicitur, quandocunque in Matutino dictus est Hymnus *Te Deum*, excepta Missa Fer. 5ta. in Cœna Dni. et Sab. sancto.

*Credo* vero nunquam dicitur, nisi signo *Cr.* dici exprimatur.

030054358



D i l e c t o C l e r o  
Dioecesis Labacensis!

---

*En vobis ordinem divinum officium persolvendi, et sacrosanctum Missae Sacrificium celebrandi.*

*Recitate illud digne, attente, studiose et devote. Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrate mundo corde, mundo corpore, profundo humilitatis, maximo pietatis sensu, et in orationibus vestris mei quoque mementote, quemadmodum et ego memoriam vestri facere non praetermitto.*

*Non dubito quidem futurum, ut Dei auxilio hasce vestri muneras partes adimplentes, etiam reliquas omnes actiones vestras ad eam vitae rationem attemperare non negligatis, quam saluberrimis Ecclesiae legibus sancitam, et Sanctorum Patrum institutis expressam sacerdotalis vester status postulat; ast superest, ut et uniformitas in omnibus cultum divinum publicum concernentibus, quam Encyclica mea 31. Octobris 1824 sedem hanc episcopalem concendens vobis tantopere commendavi, ab omnibus animarum curatis quam accuratissime observetur.*

*Peracta enim canonica visitatione omnium ecclesiarum curatarum hujus Dioecesis cum solatio quidem fateri debo, in plerisque praescriptum ordinem cultus divini publici laudabiliter observari; cum tamen aliquas ecclesias curatas invenisset, in quibus minus ex-*

4010 C1010 D1010

acte observari soleat, huic cultus divini externi disparitati aliisque defectibus hinc inde observatis occurrere, et uniformitati consulere volens, ea, quae jam Antecessores mei per totam Diœcesim in singulis cuiuscunque nominis curatiis observari voluerunt, quaeque jam Celsissimus Princeps et Archiepiscopus Labacensis Michaël L. Bar. de Brigido Epistola sua pastorali dd. 23. Martii 1804 publicaverat, in unum per breve compendium paucissimis adjectis congessi, atque vobis hisce communico, vos, quanto possum fervore excitans, ut ubique, et ab omnibus Diœceseos Labacensis curatis ad amussim observerentur, et quae sequuntur, executioni dentur.

1. *Omnibus diebus dominicis et festis de pracepto in iis ecclesiis, ubi unus tantum residet curatus, hora pro opportunitate populi stabilita dicatur Missa parochialis pro populo offerenda, sive Curatus sit Parochus, sive Vicarius parochialis, sive Capellanus localis, sive Administrator tantum vacantis curatiae; sicut inhaerendo Concilii Tridentini decreto Sess. 23. de Reform. C. I. „Praecepto divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est—pro his Sacrificium offerre, verbi que divini praedicatione—pascere“ statuit Benedictus XIV. in constitutione dd. 19. Augusti 1744 quae incipit: Cum semper.*

2. *Infra Missam post Credo legatur Epistola et Evangelium isti diei assignatum, et*

*fiat homilia brevis seu simplex et plana Evangelii vel Epistolae explicatio cum applicacione ad fidei dogmata firmanda et dilucidanda, atque ad mores informandos.*

3. *In iis vero ecclesiis, quibus duo vel plures addicti sunt Sacerdotes duo quoque Sacra, quorum unum pro populo offerendum est, praedicto modo ita peragantur, ut unum mane cum brevi, ut supra dictum est, instructione dogmatico-morali, alterum serius cum concione ordinaria habeatur.*

4. *Hae duae Missae eo temporis intervallo a se invicem distent, ut ii fidelium, qui mane custodes domorum fuerint, secundae commode interesse possint; hinc curati quoque solitarii seu sine adjutore sibi invicem vicini, sive sint Parochi, Vicarii, Capellani locales, sive Expositi Missas istas mutuo consensu ita distribuant, ut unus Sacrum matutinum, alter antepomeridianum modo supra dicto habeat; quo omnes fideles utrique curatiae adscripti sive priori sive posteriori Sacro et instructioni intervenire queant.*

5. *Inter Missarum Solemnia cantus ad pios fidelium affectus excitandos aptus omnino commendatur; quem in finem musica quoque, uti dici solet figurata, gravis, modesta atque loci sanctitate digna conceditur; nequaquam vero illa profana a tibicinibus ruralibus interdum haberi solita, quae adstantes oblectare quidem, minime vero audiicare, sed potius distrahere consuevit.*

6. In Dominicis quatuor temporum, et adventus atque in festis solemnioribus §. 19. designatis sub Sacro Solemni Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum exponi potest, atque secundum ritum romanum non in expositione, sed in repositione populo benedictio detur. Item per Octavam SS. Corporis Christi intra Missam in illis locis ubi populus copiosior confluere solet, praememorata expositio ad recolendam hujus Sanctissimi Sacramenti memoriam conceditur. Labaci et in reliquis civitatibus hujus Diæcessis quoad expositionem Sanctissimi ordo hucusque servatus continuetur.

7. Commemorations illae e sacro ambo-ne post sermonem ex pacto certi stipendiï indicatis largientium intentionibus recitari solitae, utpote tempus publicae devotioni dicandum nimium protrahentes intermittentur, atque harum loco brevis oratio pro omnibus, qui se ecclesiae precibus commendarunt, dicatur.

8. Ex sacro ambone praeter ea, quae ordo cultus divini postulat, nihil promulgatur, nisi quod vel ab officio Ordinariatus, vel a caes. reg. Circuli Capitaneatu tamquam ex cathedra promulgandum mandatum fuerit.

9. A meridie hora statuta ad parvolorum aequae ac adulorum instructionem catechesis instituatur, atque materiae in catechismo contentae ita distribuantur, ut omnia

*praecipua fidei dogmata, morumque praecepta uno alterove anno absolvantur.*

10. *Huic instructioni catecheticae in ecclesia etiam juventus e scholis popularibus jam egressa, licet iisdem diebus scholas dominicales et festivales dictas, ab Augustissimo Imperatore Nostro tantopere commendatas, frequentare debeat, cum ludimagistro interesse tenetur; quare informatio ista in scholis dominicalibus et festivalibus ludimagistro incumbens doctrinam christianam pro opportunitate loci, ludimagistri et curatorum vel praecedat vel sequatur, oportet.*

11. *In Dominicis Quadragesimae loco pomeridianae catechesis vel antemeridianae concionis fiat e sacro ambone expositio et contemplatio Passionis D. N. J. C. secundum Evangelistas additis exhortationibus moralibus ad rem facientibus. In Nativitate D. N. J. C. et Dominica Paschatis autem habeatur Concio pomeridiana sive antemeridiana ad magis magisque excitandam benevolentiam parochianorum erga pauperes in parochia degentes, vel erga institutum, ex quo aluntur.*

12. *In iis locis, ubi scholae populares existunt, Dominica initium anni scholastici praecedente habeatur Concio, qua parentes, ut juventutem diligenter ad scholam mittant, excitentur; cum vero scholas populares aequae ac dominicales apud omnes curatias erigere summopere difficile sit, praecipua omni data*

occasione illorum curariorum habebitur ratio,  
qui laudabili instruendae juventutis studio acti  
ipsi pro suis viribus eandem in dexteritate  
legendi in lingua vulgari, sine tamen detri-  
mento curae animarum, informaverint.

13. Tam pomeridianae Catechesi, quam  
antemeridianae Concioni et matutinae homiliae  
adjiciantur virtutum theologicarum et con-  
tritionis actus in lingua vulgari ita pronun-  
ciandi, ut populus verba a curato prolata  
commode repetere possit.

14. Peracta Catechesi pomeridiana co-  
ram exposito venerabili Eucharistiae Sacra-  
mento Litaniae OO. SS. vel pro Festi exi-  
gentia Lauretanae de B. M. V. in lingua vul-  
gari dicantur, cum adjectis precibus de SS.  
Sacramento, pro Augustissimo Imperatore,  
pro Summo Pontifice, et pro me Antistite  
vestro, atque pro aversione omnium malorum;  
tandem populo benedicatur.

15. Finito sic cultu divino publico po-  
meridiano poterunt animarum curati primum  
adultos, dein parvulos familiari colloquio su-  
per eis, quae publice explanata fuere, exa-  
minare, ut inde compertum fiat, num ea,  
quae quisque audivit, mente perceperit, vel  
an potius iterata explanatione opus sit.

16. Ne diebus dominicis et festivis per  
excursus ad ecclesias filiales ecclesia domestica  
sacramentata deseratur, omniisque, quod dede-  
cet, devotione publica privetur, ne curatis ex-  
currentibus ansa omittendae catecheseos pome-

*ridianae præbeatur, neve excursus forte his diebus emergentes ad infirmos, ubi saepe periculum in mora esse solet, difficiliores reddantur, et retardentur, curatis adjutorem non habentibus, excursus ejusmodi per actionis causa ad ecclesias filiales praedictis diebus omnino prohibentur, nisi adsit specialis officii Ordinariatus requisita et obtenta permisso.*

17. *In iis vero locis, ubi, praeter parochum unus cooperator existit, conceditur quidem in patrocinio cuiusque ecclesiae filialis, si est festum de præcepto, aut in Dominicam cadit, ibidem unam Missam cum Concione sacra celebrare, Missa tamen parochialis cum sermone sacro semper in ecclesia curata habeatur. Idem quoque permittitur illis dominicis, festisque diebus, quibus juxta Parochiae Matriculam jam ab immemorabili tempore consuetudo obtinuit, in ecclesia filiali Missam cum Sermone haberet; catechesis tamen pomeridiana in ecclesia curata excursus causa nunquam intermittatur. Quodsi ejusmodi patrocinium non sit festum de præcepto, neque in Dominicam incidat, in subsequentem Dominicam transferatur.*

18. *Idem observari indulgemus ubi parochio duo aut plures cooperatores adjuncti sunt, hac tamen sub intellecta conditione, ut in ecclesia curata semper duae Missae cum dictione catechetico-morali ad normam §. 3. fiant.*

19. *Verum nec praedicti excursus fieri permituntur in festis per annum principalioribus: videlicet: in festo Circumcisionis D. N. J. C.,*

*Epiphaniae Domini, Purificationis<sup>1</sup>, S. Josephi,  
Annuntiatae, in Dominica Palmarum, Resur-  
rectionis D. N. J. C., in festo Ascensionis, Do-  
minica Pentecostis, in festo Corporis Christi et  
in Dominica infra ejus Octavam, in festo SS.  
Apostolorum Petri et Pauli, Assumptae, Na-  
tivitatis B. M. V., Dominica 3tia Octobris utpo-  
te in Dedicatione omnium ecclesiarum, in festo  
omnium Sanctorum, Conceptionis B. M. V., S.  
Stephani Protomartyris, et patrocinii ecclesiae  
parochialis.*

20. *Ut et illae Communitates, quibus unus  
tantum praeest curatus, sacrum solemne in suis  
filialibus quandoque habere queant, conceditur  
cooperatoribus ecclesiae matricis ad easdem in  
patrocinii, aut aliis festis diebus, quibus juxta  
parochiae matriculam jam ab immemorabili  
tempore Sacrum cum sermone haberi consuevit,  
excurrere, dummodo id sine detrimento cultus  
divini in ecclesia matrice, juxta ordinem hucus-  
que expositum, habendi fieri queat.*

21. *In Sanctuariis quoque, seu ecclesiis, ad  
quas populus peregrinationis causa confluere  
consuevit, praescriptus divini cultus ordo diebus  
dominicis et festis observeatur, neque aliae mi-  
nus approbatae devotiones habeantur. Memine-  
rint praeterea Sacerdotes divina ibidem peragen-  
tes, se in sermonibus ad populum habendis verita-  
tis evangelicae praecones esse, nihilque proferre  
debere, quod ecclesiae iudicio tamquam verum et  
probatum non invenitur. Curent quoque, ut,  
dum vesperascit, fores ecclesiae occludantur,*

neque ulli speregrinantium accessus ad ibidem pernoctandum concedatur.

22. *Sacra fundata in ecclesiis filialibus peragenda, si in Dominicam, aut diem festum de praecepto inciderint, in alium diem non festum transferantur.*

23. *Alii Sacerdotes in parochia degentes diebus dominicis et festis in ecclesia curata hora ipsis a curato loci determinata celebrent, cuius erit invigilare, ne ejusmodi Missis privatis populas a Missa parochiali et instructione necessaria avertatur. Praeterea, dummodo legitime non fuerint impediti, sacris functionibus, publicis precibus et processionibus interveniant, confessiones fidelium exaudire, si jurisdictione ad id necessaria gaudent, et curatos pro viribus adjuvare non graventur.*

24. *In omni Sacristia adsit Tabula omnes fundationes illius ecclesiae exhibens, adsit et liber, in quo, dum Sacrum fundatum peragendum occurrit, annus, mensis, dies, nomenque Sacerdotis illud peragentis propria manu adnotetur. Serventur etiam ibidem libri baptizatorum, mortuorum, et matrimonio junctorum, quibus nomina patrinorum, testiumque propria ipsorum manu, si scribere norunt, secus adjecta cruce accurate, clare et distincte inscribantur, reliquae rubricae autem a sacerdote peragente expleantur et subscribantur.*

25. *Processiones sacrae publicae seu supplicationes in ecclesia catholica ex antiquo instituto in Litaniis majoribus in festo S. Marci, et*

*in minoribus rogationum triduo, in festo Corporis Christi, vel hoc impedito, in Dominica infra Octavam fieri solitae, ea, qua decet modestia, et reverentia instituantur; aliae vero extraordinariae, quae variis de causis, aut emergente aliqua angustia vel calamitate institui solent, non quam absque speciali ab Ordinariatu requisita licentia habeantur, atque imminente aliqua tribulatione, antequam haec facultas ab Ordinariatu requiratur, per tres dies preces in parochiali ecclesia coram Sanctissimo eum in finem exponendo ordinentur.*

26. *Omnes vero hujusmodi processiones ab ecclesia parochiali ad filialem proprius adjacentem, vel si filialis desit, ad parochialem facta circiter semihorae circuitu redeundo, atque non quam ultra parochiae limites instituantur, neque pro his sub ullo v.g. fatigii aut itineris titulum merces ulla recipiatur.*

27. *Diebus non festivis curati praecipue locorum illorum, in quibus plures existunt, current, ut quotidie unum saltem Sacrum hora determinata habeatur; ubi autem jam hucusque duo quotidie Sacra habebantur, idem et in posterum accurate servetur. Item commendatur ut conciones habeantur feria sexta majoris hebdomadae, et in commemoratione omnium fidelium defunctorum in omnibus ecclesiis curatis, et feriis solitis tempore quadragesimali Labaci in illis ecclesiis parochialibus, in quibus hucusque haberi consueverunt.*

28. *In Sabbathis et vigiliis festorum praecepto etiam ruri in ecclesiis curatis haber*

possunt *Litaniae in lingua vulgari*, quibus in Sabbathis et per vigiliis B. Mariae Virg. ejusque festis etiam *Rosarium adjici* potest. Quod si vero populus copiosior in ecclesia comparuerit, permittitur, ut dictae preces coram exposito *Santissimo dicantur*, tandemque populo cum Ciborio benedicatur.

29. *Consuetudo proles*, dum ad primam communionem admittuntur, brevi aliqua et cordiali exhortatione ab altari alloquendi, laudabilis omnino est; quare ea lege hisce commendatur, ut ruri in aedificationem quoque adulorum haec prima communio prolium, omni anno nisi Dominica in Albis fieri possit, alia sequenti Dominica infra tempus paschale habeatur, quin tamen per eandem publicae devotionis ordo turbetur.

30. *Matutina hebdomadae sanctae praepue* in illis locis, ubi duo aut plures existunt Sacerdotes, cantentur, quantum fieri potest, solemniter in ecclesiis curatis, adjuvante ludimagineistro; ad recolendam vero memoriam Resurrectionis D. N. I. C. in Sabbatho Sancio ante solis occasum cantato Matutino sumatur Sanctissimum e Sepulchro, quod remoto omni theatrali apparatu juxta exemplar praescriptum comparari debet, dein intonetur *Alleluja*, et translato Venerabili ad Altare majus, fiat *Te Deum*, et *Benedictio*.

31. *Ceremoniae, ritus sacri ac benedictiones certis per annum diebus ab ecclesia ordinatae* ad praescriptum Missalis ac Ritualis Romani, quae in omni ecclesia curata alioquin adesse de-

*bent, religiose observentur; aliae vero neque in Missali, neque in Rituali Romano contentae, utpote ab ecclesia catholica non commendatae omittantur.*

32. *Serio prohibetur, ne ullus Sacerdos ad quascunque Functiones ecclesiasticas accedere praesumat, non indutus veste talari; simulque praecepitur, ut omnes Sacerdotes tonsuram, collare, et honestum clericalem habitum constanter deferre et per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendere non praetermittant.*

33. *Quoad Missas manuales quilibet Sacerdos teneat librum, in quo intentionem dantis, quantitatem eleemosynae, pro Missis perceptae, annum, mensem et diem, quo illam percepit, accurate inscribat, pariter autem et dies, quibus easdem missas persolvit, adnotet; caveat tamen Sacerdos, ne Missarum Stipendiis sese nimium oneret; ex decreto enim S. Congregationis Con. Trid. Interpretum edito 21. Junii 1625 ex auctoritate Urbani VIII. illi specialiter attributa, et confirmato ab Innocentio XII. vetitum est accipere novas Missarum eleemosynas iis, qui veteres habent satisfaciendas, dummodo infra modicum tempus non possit omnibus satisfieri; modicum vero tempus, definivit eadem S. Congregatio 17. Iulii 1655. esse unum mensem. Declaravit praeterea vi Constitutionis dd. 30. Junii 1741, quae incipit: Quanta cura: Benedictus XIV. poenam suspensionis ipso facto incurrire sacerdotem, qui stipendia majoris pretii promissis celebrandis, quemadmodum locorum con-*

stuetudines vel dioecesana statuta exigunt, colligens, Missas retenta sibi parte eorumdem stipendiorum acceptorum sive ibidem, sive alibi ubi pro missis celebrandis minora stipendia tribuuntur, celebrari fecerit.

34. *Pulsus campanarum, cum ad usum religiosum, atque ad annuntianda cultus divini et devotionis tempora sint destinatae, in sabbathis et vigiliis Sanctorum ad indicendos populo dies festos subsequentes, quemadmodum etiam brevis pulsus minoris campanae ad instar ad Ave Maria imminentे aliqua tempestate, quo populus ad preces pro avertendo fulgere, et noxia tempestate fundendas invitatur, omnino probatur; nequaquam vero illa immoderata campanarum strepitatio, ac tormentorum explosio, quae ad avertendam tempestatem, utpote a Dei voluntate dependentem, inepta, vitae pulsantium saeppe periculosa atque ideo interdicta est.*

35. *Decorem Domus Dei omnibus ecclesiis arum rectoribus praecipuae curae esse oportet. Sit ergo ecclesia tam interius quam exterius ita comparata, ut domum Dei decet, ejusque sanctitudinem. Altare majus et altaria minora sint panno lineo cerato ad mensuram altaris facto, tribusque mappis cooperta et decenter ornata, sint lapidea et consecrata, vel saltem instructa altari portatili, notas consecrationis habente et integro; cum mappae mutantur, Altaria quoque ipsa mundentur, bis autem singulis annis a finitis Missis ad Vesperum omnino spoliata sint, ut sicci aeris sentiant beneficium et undequaque mundentur. Tabernacu-*

*Ium sit nitidum, clausum et ab omni alio vase vacuum. Lampas adsit semper ardens coram Sanctissimo. Fons baptismalis sit mundus, decens et clausus, aqua autem baptismalis tempore ab ecclesia praescripto renovetur. Sacrarium non desit, in quo projicienda praescribuntur multae res a Rubricis, confessionale autem sit in inferiori parte ecclesiae loco aperto atque conspicuo in omnium oculis collacatum, habeatque cratem interpositam inter confessarium et confidentem.*

36. *In altaribus ex praescripto sanctae recordationis Benedicti XIV. crucis effigies non parva et minutula, sed majore forma ita inter candelabra collocetur, ut paulisper promineat, et tam a Sacerdote quam adstantibus Missae Sacrificio cum pio erga passionem dominicam affectu spectari possit. Reliquiae nonnisi approbatae adsint et decenter reconditae, item in sacris Imaginibus nihil indecens sit.*

37. *Vasa sacra et quidem Patenae undique sint inauratae, Calices item sint argentei, vel saltem craterem habeant argenteum intus deauratum ac integrum et absque scissura. Tam Calices quam Patenae saepius in anno tepida aqua, quandoque etiam sapone molliori laventur. Ciborium sit decens, mundum, habens saltem craterem argenteum intus deauratum. Sacrae Hostiae singulis mensibus binis ad minus vicibus renoventur, et toties Ciborium absuntis prioribus particulis et micis in fundo haerentibus purificetur. Sacra Olea asserventur in decenti loco in vasis argenteis aut sal-*

tem stanneis, bene obturatis, et inter se distinctis cum propria inscriptione, omnique anno renoventur. P ix is portatilis adsit cum bursa ad deferendum infirmis viaticum. Haec pariter et alia supellex argentea, inaurata, aut inargentata saepius panno lineo molliter tergatur, vel alio modo purgetur.

38. Nitida denique sint et munda etiam paramenta et reliqua, quae ad divinae Majestatis cultum pertinent, si ornata et pretiosa esse non possunt. Casulae, Dalmaticae, Tunicellae et Pluvialia recondantur, si fieri potest, in ampio armario extensae; quae raro adhibentur, quandoque in sereno cœlo explicatae exponantur, ne forte mucescant; quae vetustate deficiunt, resarciantur. Superpellicea, Amictus, Albae, Tobaleae Altarium, Mappae, Pallae, Corporalia, et Purificatoria sint munda, et, quod præprimis notandum, omnino linea, vel ex canabe, cum usus aliorum ex gossipio, vel ex tela composita lino et gossipio confectorum districte sit interdictus. Linea omnia, divini cultus gratia parata, saepius mutentur et frequenter laventur, attamen separatim ab indumentis domesticis quibuscumque; in specie autem corporalia et purificatoria, antequam dentur foras ad lavandum, a sacerdote laventur in proprio vase, lixivia et sapone adhibito, et mox bis aqua sola abluantur, quodque ex lotione superest, in sacrum fundatur.

39. *Paramenta et alia utensilia ad Sacrificium Missae necessaria, ubi non intervenit sacra unction, A. R. D. Decani ex facultate, quam ipsis hisce concedo, pro omnibus districtus de canalis ecclesiis benedicere poterunt.*

40. *Cæmeterium ubique sit clausum, ut pecudes ab ejus ingressu arceantur; adsil etiam crux in eo erecta. Monumenta vero juxta vias erecta, si deformia et obsoleta sint, aut removeantur, aut decenter restaurantur, ut divinis mysteriis, Crucifixo vel Sanctis, quos intuentium oculis repreaesentare solent, honori atque ad pios fidelium affectus excitandos apta sint, atque ne cuiusquam oculos offendant, infirmis scando lo, malevolis vero contemptui aut plane derisui sint.*

*Ex Residentia episcopali Labaci die 31ma Octobris 1827.*

**ANTONIUS ALOYSIUS**

*Episcopus.*

**NONNULLA OBSERVANDA CIRCA  
MISSARUM CELEBRATIONEM, RE-  
CITATIONEM BREVIARII, ET  
RITUS ECCLESIASTICOS.**

1. Dum Missa celebratur coram SS. Sacra-  
mento in altari exposito, debet fieri commemo-  
ratio de eodem Sacramento post omnes alias com-  
memorations de præcepto, et in Missis solem-  
nibus Festorum 1mae, et 2dae classis tantum sub  
unica conclusione. S. R. C. 23. Junii 1736. Insu-  
per durante expositione publica SS. Sacramenti  
celebrandæ non erunt Missæ de Requiem S. R.  
C. 2. Dec. 1684.

2. Quando 3tia Oratio in Missa est ad li-  
bitum, et ex jussu summi Pontificis, aut An-  
tistitis diœcesani debet apponi aliqua specialis  
Oratio pro publica indigentia etc., hæc Oratio  
debet recitari ex præcepto 4to loco non omissa  
3tio loco illa, quæ est ad libitum, seu pro de-  
votione Sacerdotis eligenda S. R. C. 17. Aug. 1709.

3. Anniversaria etiam ob impedimentum  
translata celebrari possunt in dupli majori, non  
tamen de præcepto. S. R. C. 4. Maji 1686; pro-  
hibentur autem infra Octavas privilegiatas. S. R.  
C. 5. Julii 1698.

4. In Missis quotidianis Defunctorum dīcendæ sunt tres Orationes, licet addatur Sequentia. *Rub. Missal.* tit. 5. quæ sunt in Missali assignatæ, quando Missa celebratur generaliter pro defunctis. Verum si Missa celebratur pro aliquibus determinatis personis, primo loco dicitur Oratio pro iis, pro quibus Missa celebratur; secunda, et tertia, quæ secundo, et tertio loco ponuntur in Missa quotidiana Defunctorum. Poterit tamen Sacerdos celebrans 2do loco aliam quoque Orationem dicere v. gr. pro parentibus omissa ea, quæ 2do loco in Missali stat. *Mera-  
ti P. I. tit. V.*

5. Qui recitat Officium de Sancto, cuius insignem Reliquiam in propria Ecclesia habet, si ea die celebrat in alia Ecclesia, debet omittere Credo, quando ritus ejusdem Ecclesiæ omittit. *S. R. C. 2. Dec. 1684.* Idem dicendum de Titulari, Patrono, et Dedicatione Ecclesiæ.

6. Recitantes Off. de Martyre, et celebrantes in Ecclesiis, ubi dicitur de Confessore, debent se conformare non solum in colore sed etiam quoad Missam, etsi nulla ibi fuerit solemnitas, quia non potest celebrari de Confessore, si color fuerit rubeus. *S. R. C. 7. Maji 1746.*

7. Missæ votivæ solempnes pro re gravi celebrari possunt in Dom. et Festis (exceptis 1. et 2. class. Fer 4. Ciner. 2. 3. et 4. maj. hebd; ac tota Oct. Epiph.) ex Decret. Clement. XI. 20. Jan. 1705. In his una tant. dic. Oratio cum *Gl.* et *Cr.*, at non in Miss., quæ celebra-

tur in col. viol., except. Dom. tunc etiam dicit.  
*Cr. Rubr. Missal. tit. VIII. IX. et XI.*

8. Missæ votivæ privatæ etiam de Sanctis celebrari possunt, quando non est Dominica, duplex, aut fer. privileg. sine *GL.*, et *Cr.* etsi in colore albo, aut rubeo celebr., excipe Miss. B. M. V. in Sabb., et de SS. Angel., in quibus *GL.* sine *Cr.* dicitur, id vero passim non fiat. In his Miss. 2. Oratio dicit. de facto Offo., 3. vero, quæ 2. loco ea die in Missa ponitur, excipe Miss. B. M. V., et de Ss. Apost., in quibus dicunt. aliæ *Or. Rubr. Missal. tit. IV. et IX.*

9. Si Festum erit de Patrono loci, Officium celebretur sub ritu dup. 1. cl. cum Octava ab omnibus sacerdotibus ejusdem; si vero Festum erit Titularis tantum Ecclesiæ parochialis, Officium celebretur cum Octava ab iis tantum, qui addicti sunt servitio Ecclesiæ illius parochialis, et non ab aliis. S. R. C. 22. Maji 1628, et 21. Junii 1710, translato autem Festo, nulla transfertur Octava.

10. In fine Missæ pro Defunctis in paramentis nigris non ministratur Eucharistia; potest tamen præberi communio cum particulis intra Missam consecratis, id est post sumptuositatem. S. R. C. 2. Sept. 1741.

11. De Festis per accidens simplicibus facienda est commemoratio in primis, et secundis Vesperis, Laudibus, et Missis privatis tantum, etiam in omnibus primæ classis; sive sint dup. aut semiduplicia; exceptis tantum ultimo triduo majori, et tribus Festis paschal. ac Pentecostes. S. R. C. 18. Decemb. 1779.

12. Missa votiva *Rorate* cantata singulis diebus in Adventu haberi poterit, ut mera populi devotio. S. R. C. 29. Jan. 1752, ita *Merati in App. 2. Decret.*

13. Missa vot. pro Sponso, et Sponsa cum Orat. unica sine *Gl.*, et sine *Cr.* in colore albo legi potest in dupl. minori, et maj., sed non in Festo de præcepto. S. R. C. 7. Jan. 1784, in un. Urbis, et Orbis 83.

14. Fer. VI. in Parasceve post Orationem pro Papa dicatur sequens Oratio.

*Oremus* et pro religiosissimo ANTONIO ALOYSIO Episcopo nostro; ut Deus et Dominus noster, qui divina miseratione hujus Diœcesis onus humeris ejus imposuit, benignitatis suæ illi gratiam largiatur; ne ponderis magnitudine oppressus humanæ fragilitatis imbecillitate deficiat.

*Oremus* ¶. Flectamus genua, R. Levate.

Deus omnium Fidelium pastor, et rector: famulum tuum ANTONIUM ALOYSIUM, quem pastorem Ecclesiæ Labacensi præesse voluisti, propitius resnīce: da ei, quæsumus, verbo et exemplo, quibus præest, proficere; ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat semipiternam. Per Dominum nostrum etc.

15. In Suffr. Ssrum. post commemorationem Apost. fiat de S. Nicolao Patrono Cathedralis Ecclesiæ commemorationis solita, ut in principio appendicis libelli diœcesani.

16. In Festo Translationis Ss. Hermagoræ et Fortunati Mm. 27. Aug. dicatur sequens

*Oratio*: Deus, qui gloriosas beatorum

Martyrum Hermagoræ et Fortunati Reliquias nobis famulis tuis revelare dignatus es: concede propitius; ut qui earum Reliquiarum Translationem hodie venerando colimus; ipsorum beatitudini te concedente adjungi mereamur. Per Dominum etc.

17. In quavis Sacristia pateat inscriptio majusculis literis: ET PRO ANTISTITE NOSTRO ANTONIO ALOYSIO, ut sacerdotes advenæ sciant in Canone pro eo nominatim orare.

18. In canone Missæ post mentionem factam Romani Pontificis et Episcopi diœcesani vigore litterarum apostolicarum in forma Brevis ad Serenissimam Imperatricem Mariam Theresiam die 5., ad Episcopos ditionis austriacæ autem 6. Maji 1761. expeditarum Summi Pontificis Clementis P. P. XIII. in eodem Canone hæc præscripta verba dicantur: ET PRO IMPERATORE NOSTRO FRANCISCO.

19. Omni Missæ parochiali adjungatur Collecta pro Augustissimo Imperatore Nostro Francisco.

Pro hac Collecta sumitur Oratio cum Secreta, et Postcommunione, quæ in fine Missalis inter Orationes diversas sub. Nro. 6. stat, et quæ incipit: *Quaesumus omnipotens Deus*, etc.; et ad lit. N. nomen Imperatoris exprimatur, et loco: *Rex* dicatur *Imperator*.

LAVDETVR IESVS CHRISTVS IN SÆCVLA.

AMEN.

JANUARIUS XXXI dierum.

- 1 f. a. Fer. 3. CIRCUMCISIO D. N. J. C.  
dup. 2. cl. c. a. (*Fest. Decani*) ut in Br.  
sine com. In M. Cr. Præf., et *Communi-*  
*c. Nat. Dni.* In 2. Vesp. com. seq. tant.  
Or. pp.
- 2 b. Fer. 4. Octava S. Stephani Protom. dup.  
c. r. ut in Br., com. 2. Oct. in L., et M.  
cum Cr., et Præf. Nat. Dni. tant. Vesp. a  
cap. de seq., com. præc., et Oct. Ss. Innoc.
- 3 c. Fer. 5. Octava S. Joan. Ap. dup. c. a. ut  
in Br., com. Oct. Ss. Innoc. in L., et M.  
cum Cr., et Præf. App. In 2. Vesp. com.  
seq. ut in 1. Vesp. Festi.
- 4 d. Fer. 6. Octava Ss. Innoc. Mm. dup. c. r.  
ut in Br., 2. Ant. 3. noct. *Isti sunt.* In M.  
Gl., Grad. cum 2. *Allel.*, et *XV.* seq. sine  
Tractu, et sine Cr., dicit. Præf. Nat. Dni.  
tant., et *Ite Missæ est.* In 2. Vesp. com.  
Vig., et S. Telesphori Pp. M.
- 5 e. Sab. Vigil. Epiph. (*sine Jej.*) De ea sem.  
c. a. Off. ut in Br.; com. S. Telesph. in  
L., et M., 3. Or. ibi; Præf. Nat. Dni. tant.  
sine prec. ad Prim. Vesp. de seq. sine com.  
In fine Hym. per tot. Oct. *Jesu-qui ap-*  
*paruisti*, etc.

Hodie, et in seq. Oct. prohib. Missæ votiv.,  
et Def., pro quibus solemnis etiam præs.

cadav. cras, et in aliis dup. Fest. 1. cl. per ann., ac ult. Triduo maj. hebd. exclud. Poterit tamen præs. in Ecclesia cadav. unica Missa solemn. de Requiem celebrari fer. 2. et 3. Paschæ, et Pentec.

- 6 † F. Dom. (*vacat*) EPIPHANIA DNI. dup. 1. cl. cum Oct. (*Festum Celsissimi.*) c. a. ut in Br. In M. *Cr.* Præf., et *Communic.* pp., ac ad Prim. ¶. *Qui apparuisti* per tot. Oct. 2. Vesp. de hoc Festo, et sic per Oct.

Infra hanc Oct. prohib. quodcumque Off. quod non sit Patroni, aut Titul., sed hæc quoq. hodie, et in die Octav.

- 7 g. Fer. 2. De die 2. infr. Oct. sem. c. a. Off. ut in Fest., et sic. per Oct. Ad. Mat. dic. ¶. *Dne. labia.* Invit. et Hym., ac in 3. noct. Ant. *Homo*, et Psalm. *Fundam.*; LL. R<sub>Y</sub>R<sub>Y</sub>. Ant. ad *Ben.* et *Magnif.* de die 2. inf. Oct. et sic. respect. per Oct. In M. Festi 2. Or. *Deus qui sal.*, 3. Eccl. vel pro Papa, *Cr.*, et rel. ut sup. Vesp. ut in Fest. Ad *Magnif.* Ant. pp. et sic per Oct.

Hodie, et deinceps, usq. ad fer. 4. Ciner. permit. solemnes nuptiæ

- 8 a. Fer. 3. De die 3. inf. Oct. sem. c. a. oia. respect. ut heri.  
 9 b. Fer. 4. De die 4. inf. Oct. sem. c. a. oia. respect. ut fer. 2.  
 10 c. Fer. 5. De die 5. inf. Oct. sem. c. a. oia. respect. ut fer. 2. In 2. Vesp. com S. Hygini Pp. M.

- 11 d. Fer. 6. De die 6. inf. Oct. sem. c. a. oia.  
respect. ut fer. 2. com. S. Hygini in L. et  
M. 3. Or. *Deus qui salut.* Cr. et rel. ut  
sup. Vesp. a cap. de Dom. inf. Oct. com.  
Oct. Ant. *Admoniti,* ¶. *Omnes de Saba.*
- 12 e. Sab. De Dom. inf. Oct. sem. c. a. ut in  
Br. LL. 1. n. de epist. ad Rom. *Com-*  
*mendo*, rel. ibi, com. Oct. in L. et M.  
pp. sine 3. Or. sed cum Cr. et rel. ut sup.  
Vesp. de seq. ut in 1. Vesp. Fest., Or. pp,  
com. Dom. Ant. *Fili,* *quid.* ¶. *Omnes de*  
*Saba.*
- 13 † F. Dom. 1. post Epiph. (*vacat*) Octava  
Epiph. dup. c. a. LL. 1. n. incip. Epist.  
1. *ad Corinth.* B. R. festi, rel. ut in die  
8va. M. pp. cum Cr. rel. ut sup. In 2.  
Vesp. com. seq. et S. Felicis M.
- 14 g. Fer. 2. S. Hilarii Ep. C. sem. c. a. *mer.*  
*sup.* LL. 1. n. cur. fer., rel. ibi; 9. L.  
et com. S. Felicis in L. et M. 3. Or. *Deus,*  
*qui sal.* (*Hodie reassum.* Suffr. Ss. in Laud.  
et Vesp., ac Prec. ad Primam, et Compl.  
except. dup. et inf. Oct. usq. ad Dom.  
Pass. excl. Pro. com. B. M. V. ¶. post  
*partum*, Or. *Deus, qui sal.* usq. ad Pu-  
rif. B. M. V.) Vesp. de seq. *mer.* *sup.*  
com. præc. et S. Mauri Ab. ut in Br.
- 15 a. Fer. 3. S. Pauli 1. Erem. C. dup. c. a.  
ut in Br., 9. L. et com. S. Mauri ut in  
Br. in L. et M. Vesp. a cap. de seq. Or.  
*Da, quæsumus,* com. præc.
- 16 b. Fer. 4. S. Titiani Ep. C. dup. c. a. LL.

1. n. cur. fer., rel. de coi. 1. loco. M.

*Statuit.* Vesp. a cap. de seq. com. præc.

17 c. Fer. 5. S. Antonii Ab. dup. c. a. ut in Br.  
Vesp. de seq. com. S. Pauli, præc. et  
S. Priscæ V. M.

18 d. Fer. 6. Cathedra S. Petri Romæ dup.  
maj. c. a. ut in Br.; 9. L. et com. S.  
Priscæ, sed prius S. Pauli in L. et M.  
*Cr.*, et Præf. Ap. In 2. Vesp. com. S. Pau-  
li, seq. ac Ss. Marii, et Soc. Mm.

NB Ab Orationibus expungenda sunt  
cognomina, et patriæ Ssrum. S. R. C. 5. Maji  
1736.

19 e. Sab. S. Canuti M. sem. ad libit. c. r. LL.  
1. n. cur. sab., rel. ibi; 9. L. et com.  
Ss. Mm. in L. et M. 3. Or. *Deus qui  
salut.* (cujus Secr. *Tuæ Dne.* ex Vot. B.  
M. V.) Vesp. de seq. com. Dom. tant.  
Ant. et ȳ. ex Sab. de psalt. In Hymn.  
Compl. *Jesu - qui natus,* et sic eras ad  
Hor.

20 + F. Dom. 2. post Epiph. Fest. SS. NOMI-  
NIS JESU dup. 2. cl. c. a. ut in Br.;  
9. L. et com. Dom. ȳ. *Dnus. regnavit*  
in L. et M. cum Cr. Præf. Nat. Dni. tant.  
et ult. Ev. Dom. In 2. Vesp. com. seq.  
et Dom. ȳ. *Dirigatur.*

Hodie pro Regn. et Provinc. Austriæ Indul-  
gent. plenariæ pro omnibus Fidelibus, qui  
vere pœnitentes, et confessi, ac sacra  
Communione refecti Missæ solemní intersint,  
et pro christ. Principum concordia,  
hæresum extirpatione, et S. Matris Ec-  
clesiæ exaltatione pias ad Deum preces

effuderint. Ex concess. Innocentii XIII.  
17. Julii 1722.

- 21 g. Fer. 2. S. Agnetis V. M. dup. c. r. oia.  
pp. Vesp. a cap. de seq. com. præc.
- 22 a. Fer. 3. Ss. Vincentii et Anastasii Mm.  
dup. c. r. LL. 1. n. ex Dom præc., rel.  
ibi. Vesp. de seq. com. præc. et S. Eme-  
rentianæ V. M. tant. In Hym. Compl.  
*Jesu - qui natus.* et sic cras ad Hor.
- 23 b. Fer. 4. Desponsatio B. M. V. dup. maj.  
c. a. ut in fine Br. vel lib.; 9. L. et com.  
S. Emerent. tant. in L. et M. in fine Mis-  
sal. cum *Cr.* et *Præf.* *Et te in Despons.*  
Ad Prim. *¶. Qui natus.* In 2. Vesp. com.  
seq. tant.

In Cathedr. cras Ann. pro Elisabetha Kirch-  
berg. Off. Can. Kirchberg.

- 24 c. Fer. 5. S. Thimothei Ep. M. sem. c. r. ut  
in Br. In M. 2. Or. *Deus, qui sal.*, 3.  
Eccl., vel pro Pp. Vesp. de seq. com. S.  
Petri, et præc.
- 25 d. Fer. 6. Conversio S. Pauli Ap. dup. maj.  
c. a. ut in Br. com. S. Petri in L. et  
M. cum *Cr.* et *Præf.* Ap. In 2. Vesp. com.  
S. Petri, et seq.
- 26 e. Sab. S. Polycarpi Ep. M. sem. c. r. ut  
in Br. In M. 2. Or. *Deus, qui sal.*,  
3. Eccl., vel pro Pp. Vesp. de seq. *mer.*  
*sup.* Ant. *O Doctor.* (in Or. non omit.  
prædic. Chrysost.) Dom. Ant. et *¶.* ex  
psalt., et præc.
- 27 † F. Dom. 3. post Epiph. S. Joannis. Chry-  
sostomi Ep. C. D. dup. c. a. LL. 1. n.

cur. Dom. rel. ibi; 9. L. et com. Dom. in L., et M. cum *Cr.* Præf. SS. Trin. et ult. Ev. Dom. Vesp. a cap. de seq. com præc., Dom., et S. Agnetis 2do. Ant. pp.

28 g. Fer. 2. Ss. Fabiani et Sebastiani Mm. dup. c. r. (f. 20. huj.) ut in Br. 9. L. et com. S. Agnetis 2do. Ant. ex 21. huj. in L. et M. Vesp. a cap de seq. *mer. sup.*, com. præc.

29 a. Fer. 3. S. Francisci Salesii Ep. C. dup. c. a. ut in Br. In 2. Vesp. com. seq.

30 b. Fer. 4. S. Martinæ V. M. sem. c. r. Hym. Vesp. si sejunct. præuniat. Hym. Mat. sub. unica conclus. LL. 1. n. cur. fer. rel. ibi. In M. 2. Or. *Deus, qui sal.* 3. Eccl. vel pro Pp. Vesp. de seq. Or. ex libet., com. præc.

31 c. Fer. 5. Translatio S. Marci Evang. dup. c. r. Off. de coi. App. LL. vero de coi. Evang. In M. ex ppr. *Cr.* Præf. Ap. In 2. Vesp. com. seq.

## FEBRUARIUS XXIX dierum.

- 1 d. Fer. 6. S. Ignatii Ep. M. sem. c. r. LL. 1. n. ex Dom. 4. post. Epiph., rel. ibi. In M. 2. Or. *Deus, qui sal.* 3. Eccl. vel pro Pp. Vesp. de seq. sine com. In Hym. Compl. *Jesu - qui natus,* et sic eras ad Hor.
- 2 † E. Sab. PURIFICATIO B. M. V. dup. 2.

cl. c. a. (*Funct. et Fest. Praepos.*) Ante Mis. solem. Bened. et distrib. Candel. ac Process. in c. viol. Off. ut in Br. 9. L. et com. Dom. 4. post Epiph. Ant. *Ascendente* ḥ. *Repleti* ex sab. de psalt. in L. et M. *Cr.*, Praef. Nat. Dni. tant. et ult. Ev. Dom. 4tæ. Ad Prim. ḥ. *Qui natus*. In 2. Vesp. com. Dom. Septuag. Ant. *Dixit Dnus.*, ḥ. *Vespert.* Ben. Dno. cum 2. *Allel.* et deinceps ejus loco ad init. Horar. dic. *Laus tibi Dne.*, etc. usq. ad fer. 4. maj. hebd. incl. Post Compl. Ant. B. M. V. *Ave Regina* cum suo ḥ. et Or. parit. usq. ad fer. 4. maj. Hebd., et in Suffr. B. M. V. deinceps dic. ḥ. *Oratio pro nobis*, et Or. *Concede*.

3. † F. Dom. Septuag. 2. cl. De ea sem. c. viol. Off. ut in Br. sine *Te Deum.*, sed cum 9. Rx. Ad Prim. omiss. *Confitemini* die. psalm. *Dnus regnavit*, et Symb. *Quicunq.*, et sic. in rel. Dom. ante Pascha. In M. non dicit. *Glor.*, nec *Ite Missa est*, sed *Ben. Dno.* nisi in Fest. Ss., et Miss. vot. 2. Or. *A cuncti*. (in qua ad Lit. N. Patron. Eccl., in qua celebrat., est nominand.; si autem Eccl. sit dicata SS. Trinit. SS. Salvatori, vel Sto. alicui ex nominatis in eadem Or., tunc ad Lit. N. nominetur Stus., cuius præcipua memoria, vel insignis Reliquia habetur in dicta Eccl.) 3. Or. ad libit. *Cr.*, et Praef. SS. Trin. Vesp. de seq. *mer. sup.*, com Dom.

4. g. Fer. 2. S. Andreæ Corsini Ep. C. dup.  
c. a. LL. 1. n. cur. fer., rel. ibi. In M.  
ad Grad. omiss. *Allel.*, et  $\ddot{\chi}$ . seq. dic.  
Tract. etiam in Miss. Ss., et vot. si celebr.  
ante Dom. Palm., qui si desit in pp. loc.  
summat. de coi. Vesp. a cap. de seq.  
com. præc.
5. a. Fer. 3. S. Agathæ V. M. dup. c. r. oia.  
pp. Vesp. a cap. de seq. Or. ex lib. com.  
præc. et S. Dorotheæ V. M.  $\ddot{\chi}$ . *Adjuva-*  
*bit eam.*
6. b. Fer. 4. S. Anastasiæ M. dup. c. r. Off.  
de coi. non Vv., sed Mm. tant. LL. 1.  
n. cur. fer. 2. n. de coi. 2do., et 3. n.  
1. loc.; 9. L. et com. S. Doroth.,  $\ddot{\chi}$ .  
*Specie tua in L. et M. Me expectave-*  
*runt.* 2. loc. Or. Secr. et Postcom. ex  
2. Miss. Nat. Dni. Vesp. a cap. de seq.  
mer. sup. com. præc.
7. c. Fer. 5. S. Romualdi Ab. dup. c. a. ut  
in Br. Vesp. a cap. de seq. Or. *Da,*  
*quaesumus* com. præc.
8. d. Fer. 6. S. Juventii Ep. C. dup. c. a. L.  
L. 1. n. cur. fer., rel. de coi. 1. loc. M.  
*Statuit.* Vesp. a cap. de seq. mer. sup.  
Or. *Da, quaesumus*, com. præc. Or.  
*Exaudi*, et S. Apolloniæ V. M.
9. e. Sab. S. Paulini Ep. C. dup. c. a. LL. 1.  
n. cur. sab., rel. de coi. 1. loc.; 9. L.  
et com. S. Apollon. in L. et M. *Statuit.*  
In 2. Vesp. com. Dom. Sexag.
10. f. Dom. Sexag. 2. cl. De ea sem. c. viol.

- ut in Br. In M. 2. Or. *A cunctis.*, 3. ad libit. *Cr.*, et Praef. SS. Trin. Vesp. de seq., com. Dom.
- 11 g. Fer. 2. BB. 7. Fundator. Ord. Serv. B. M. V. Conf. dup. c. a. oia. pp. in libel. vel fine Br. M. ex ppr. vel fine Mi. Vesp. a cap. de seq. *mer. sup.*, com. præc.
- 12 a. Fer. 3. S. Petri Nolasci C. dup. c. a. (in Br. 31. Jan.) ut in Br. ibi. Vesp. a cap. de seq. *mer. sup.*, com. præc.
- 13 b. Fer. 4. S. Joannis de Matha C. dup. c. a. (in Br. 8. huj.) ut in Br. ibi. In 2. Vesp. com. seq. Or. *Deus, qui nos,* et S. Valentini M.
- 14 c. Fer. 5. S. Zoili C. sem. c. a. *mer. sup.* L. L. 1. n. cur. fer., rel. de coi. 1. loc. com. S. Valentini in L. et M. *Os justi* 1. loc., 3. Or. *A cunct.* Vesp. a cap. de seq., com. præc. et Ss. Faustini et Jovitiae Mm.
- 15 d. Fer. 6. S. Marcelli Pap. M. sem. c. r. (in Br. 16. Jan.) LL. 1. n. cur. fer., rel. ibi; 8. R. *Dne. prævenisti*; 9. L., et com. Ss. Mm. in L. et M. 3. Or. *A cunct.* Vesp. a cap. de seq. Or. *Deus, qui inter cetera*, com. præc.
- 16 e. Sab. S. Julianæ V. M. sem. c. r. LL. 1. n. cur. sab., rel. in lib. In M. *Loquebar* 2. Or. *A cunct.*, 3. ad libit. Vesp. a cap. de Dom. Quinq., com. præc.
- 17 f. Dom. Quinq. 2. cl. De ea sem. c. viol. (*Fest. Can.*) ut in Br. In M. 2. Or. *A*

*cunct.* 3. ad libit. (in Cathedr. et ubi fit expos. 40. Horar. 4. Or. de SS. Sacramento, et sic seq. biduo) *Cr.*, et *Præf. SS. Trin.* In 2 Vesp. com. seq., et *S. Simeonis Ep. M.*

18 g. Fer. 2. *S. Raymundi de Penaf.* C. sem. c. a. (in Br. 23. Jan.) *mer. sup. LL. 1. n.* cur. fer., rel ibi; 9. L. et com. *S. Simeon.* in L. et M. 3. Or. *A cunct.* Vesp. a cap. de seq. *mer. sup. com. præc.*

19 a. Fer. 3. *S. Juliani de Bono Albergo* C. sem. c. a. *LL. 1. n. cur. fer.*, rel. de coi. 2. loco In M. *Justus, ut palma* 2. Or. *A cunct.* 3. ad libit. 2. Vesp. sine com.

Hodie terminat. Off. cujuscumq. Oct. et a seq. med. nocte, usq. ad Dom. in Albis prohib. solemn. Nuptiæ.

20 b. Fer. 4. *Ciner.* et init. *Jejunii Quadrag.* De ea c. viol. Off. ut in psalt. per ann. et pp. loco, com. de Cruce, et preces per omn. Hor. flex. genib. in Off. feriali tant. per tot. Quadr. (Ante Miss. Bened. Ciner. ut in Missali. In Cathedr. *Funct. Praep.*) Missa pp. Or. ibi, *Præf. Qui corporali Jej.*, etiam in Dom. et fest. SS. usq. ad Dom. Pass. exclus., nisi alit. notet., et in fine Missæ præmiss. *Humiliante* etc. dic. 4. Or. super. popul. in Missa ferial. tant. ut ibi, et *Ben. Dno.* Vesp. de seq. com. fer. Ant., et Or. pp. *¶. Dirigatur.*, et sic. seq. biduo.

- Hodie prohib. Missæ vot., et Def. (excepta unica solemn. præs. Cadav.) et quodcumq. Off. occur. etiam 1. cl.
- 21 c. Fer. 5. S. Scholasticæ V. dup. c. a. (f. 10. huj.) LL. 1. n. *De virginibus*, rel. ibi., 9. L. et com. fer. in L. et M. *Dilexisti* Or. pp., et ult. Ev. fer. Vesp. de seq. com. præc. et fer.
- 22 d. Fer. 6. Fest. V. Vulner. D. N. J. C. dup. maj. c. r. Off. ut in lib., vel fine Br.; 9. L. et com. fer. in L. et M. ex ppr. *Cr.* et Præf. *Qui sal.* ult. Ev. fer. In 2. Vesp. com. seq. et fer.
- 23 e. Sab. Vig. de qua nihil in Off. S. Margaritæ de Cortona dup. c. a. Off. de coi. non Vv. LL. 1. n. *Mulierem fortem*, rel. in lib. vel fine. Br. Ad. *Ben.* Ant. pp.; 9. L. et com. sab. in L. et M. ex ppr., vel fine Mi. 3. Or. Vig. et ult. Ev. sab. In 2. Vesp. Ant. ad *Magnif.* pp. com. Dom. *¶ Angelis*, qui dic. quotid. etiam in Laud. usq. ad Dom. Pass. Ant. quotid. pp. Hodie, et per tot. Quadr. dic. Vesp. in Choro ante comed. except. Dom.
- 24 f. F. Dom. 1. Quadr. 1. cl. De ea sem. c. viol. ut in Br. In M. Or. ibi, et *Cr.* Vesp. de seq. com. Dom.
- 25 f. Fer. 2. S. Mathiæ Ap. dup. 2. cl. c. r. ut in Br.; 9. L. et com fer. in L. et M. cum *Cr.* et Præf. Ap. ult. Ev. fer. In 2. Vesp. com. seq. S. Pauli, et fer.
